



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

32. An suspensus à susceptione Sacramentorum incurrat irregularitatem
suscipiendo illa? Ex p. 5. tract. 10. res. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXXI.

An Clericus excommunicatus incurrat irregularitatem, si faciat coram se celebrare?
Et multi alii casus pro diversis irregularitatibus adversus Majolum deciduntur, in textu hujus Resolutionis. Ex part. 4. tract. 2. Ref. 57.

§. 1. **A**D hunc casum affirmativè respondet Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 21. difficult. 14. n. 3.* ubi sic ait, [El que haze celebrat delante de si estando descomulgado incurren irregularidad como dize la glosa, Abad. Covarr. y otros muchos y lo pruevan del texto c. illud, de Cleric. excommunic. missi. ibi, celebrationi se ingesserit, y dize Suarez que es comun sententia y aunque el la restringe a los Sacerdotes los de mas Doctores no la restringen.] Et ita etiam docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thome tract. 5. de irregular. disp. 6. dub. unico, quasi. 5. qui citat Navarum, & Sayrum.

2. Verùm contrariam sententiam novissimè tuetur Præpof. in 3. p. quasi. 5. de irregular. dub. 6. n. 38. ubi sic asserit, an Ecclesiasticus excommunicatus faciens coram se celebrari, incurrat irregularitatem? Affirmant varii ex c. illud, de Cleric. excommunic. &c. ex quo tamen non sufficienter colligitur: vt patet ex textu: verius est non incurere. Ita ille.

3. Nota tamen hic obiter quod si aliquis non est censura ligatus, & faciat vt excommunicatus, suspensus, vel interdictus coram se celebret, non est irregularis. Ita Cornejo ubi supra, contra Sayrum Navarum, quia talis irregularitas non reperitur in iure, & in c. illud, est sermo quando excommunicatus facit coram se celebrari.

4. Nota etiam hic quod licet Clericus ligatus censura incurrat irregularitatem exercendo actum Ordinis, atamen per indignam administrationem Ordinis non incurrit irregularitas quando non est administratio contra censuram. Ex qua regula excluduntur casus ab irregularitate, quos falsò apponit Majolus lib. 3. c. 18. adversus quem insurgit Turrianus de censur. lib. 9. disp. 61. dub. 5. per totum.

5. Et nota etiam hic contra dictum Majolum lib. 4. c. 1. num. 8. Episcopum qui malè utitur potestate sua in conferendo ordines, non incurrit irregularitatem. Ita Turrianus loco citato, qui etiam notat adversus dictum Majolum lib. 3. c. 26. num. 5. quod non est irregularis qui celebrat prætermisso toto ritu Ecclesiæ in celebrando & sacrificando. Item non incurrit irregularitatem Sacerdos qui pro persona viventis Missam defunctorum dicit, quicquid ipse Majolus asserat lib. 3. cap. 25. num. 6. vt optimè notat Turrianus ubi supra, nec per iteratam receptionem sacramenti Confirmationis contra Majolum lib. 3. c. 15. nec per suspensionem fictam Baptismi contra eundem lib. 3. c. 7. & nota com Turriano ubi supra disputation. 62. dub. 3. dictum Majolum lib. 5. ferè per quadraginta capita refert multa peccata, propter quæ dicit incurrit irregularitatem, & de nullo id satis probat, exceptis aliquibus, unde cautè illum lege, & in casu occurrenti consule alios DD. & tene menti illam regulam ab omnibus receptam, & in c. is qui sententia excommunicat. in 6. latam: videlicet quod nulla irregularitas incurritur nisi in iure expressa, ex quo principio à multis irregularitatibus consulentes, vel penitentes liberabis, & ideo quando accidit casus, considera si in iure adest textus clarus & expressus imponens irregularitatem, & tunc non est dubium, quod irregularitas incurritur: si autem adsunt opiniones probabiles ex utraque parte, vel dubium, si in illo

Tom. V.

textu imponatur irregularitas, tunc potes liberare consulentem, seu penitentem ab irregularitate, & ita docent communiter DD. Vid. Villalobos tom. 1. tract. 21. diff. 22. num. 1.

RESOL. XXXII.

An suspensus à susceptione Sacramentorum incurrat irregularitatem suscipiendo illa? Ex p. 5. tract. 10. Refol. 26.

§. 1. **R**espondeo negativè, quia in tali casu non violatur suspensio per exercitium Ordinis facti, & licet Bonacina de censur. disputat. 3. punct. 4. num. 6. citet pro contraria sententia Majolum lib. 3. de irregul. cap. 19. num. 20. ver. duodecima; nihil tamen Majolus ibi agit de hac re, imò numer. 16. apertè nostram sententiam docet. Vnde adverte Lectores, ne confidant in citationibus Doctorum, quas adducit Bonacina, nam sæpius, pace viri quidem docti, adducit auctores pro aliqua sententia qui contrariam docent, vt fecit in casu nostro.

RESOL. XXXIII.

An in dubio, si incurrerit excommunicationem ministrando quis Sacramenta, efficiatur irregularis. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 94.

§. 1. **D**E hoc casu actum est in tractatu de conscientia dubia, nunc tantum adducam Mercerum de Sacrament. in 3. part. question. 21. dubiat. 5. ubi sic ait: Queritur an dubius de sua excommunicatione ministrando sacramenta fiat irregularis? Respondetur negando, si postea deprehendatur non fuisse excommunicatus, idque etiam verum est quamvis putasset se esse excommunicatum. Non enim huiusmodi pœnæ incurrantur per actum estimatum, sed re ipsa perfectum. Si autem postea deprehendatur fuisse verè excommunicatus, videndum est an ministrans cum tali dubio peccaverit mortaliter contra censuram: si enim excusetur à mortali peccato etiam excusabitur à censura, secus si mortaliter peccaverit. Quod vt sciat videndum est, an fecerit quod in se est, vt veritatem cognosceret, nisi enim id fecerit, aut ab eo faciendo, necessitate urgente exclusus fuerit, incurrit & peccatum & pœnam à iure constitutam: si autem fecerit quod in se est, tamen adhuc dubius manserit, videndum est, an potuerit absolvi ad cautelam, si enim potuit, & tamen omisit, incurrit peccatum & pœnam: si autem non habuit, à quo talem absolutionem obtineret, & rationabilis occasio & necessitas prudenti arbitrio ponderanda ad celebrandum, vel simile faciendum se offerebat, & non obstante hoc dubio speculativo, deposito tamen pratico celebravit, est immunis à peccato & pœna, quia, moraliter loquendo non exposuit se periculo, cum & necessitas urserit, & diligentiam adhibuerit. Dices, in dubiis tutior pars eligenda est. Respondetur: Hoc intelligitur cum altera pars non est practicè tuta, prout in proposito est, quia iuxta aliam regulam, in dubiis melior est conditio possidentis, & in præsentī casu operans bona fide possidet libertatem in executione Ordinum suorum: ergo, &c.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Ref. 125. & in aliis ejus primæ annotation. lege carum doctrinam, quavis non dicant plenè sup. hoc.